



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 20. Concilium Suessionense

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. XX.

Concilium Sueffionense.

Sæcul. XV.

A.C. 1456.

Hoc anno feria sexta die undecima Julii celebrata est apud Sueffionem Synodus, in qua Joannes Juvenalis ab Urfinis Archiepiscopus Rhemensis, utpote Metropolita, Præsidentem egit: huic quoque intererant Episcopi Joannes Sueffionensis, Antonius Laudunensis, Joannes Ambianensis, Joannes Sylvanectensis, ac Procuratores a ceteris Suffraganeis absentibus, necnon Ecclesiis Cathedralibus missi. In hac Synodo Episcopi decreta Basileensis Concilii (*) in conventu Bitoricensi confirmata acceptarunt, atque promulgata observari præceperunt. Præcipua vero hujus Concilii statuta concernunt divini officii celebrationem, cantum, habitum honestum Clericorum, ceteraque plura, quæ cultum exteriorem respi-

*Lab. Collect.
Conc. Gen.
tom. XIII.
pag. 1398.*

(*) Notandum, Sueffionensem Synodum unicum duntaxat Basileensis Concilii decretum Sessionis XXI. *de divino officio in Ecclesia celebrando* acceptasse, promulgasse ac observari præcepisse. Nulla ergo hujus Conciliabuli decretis contra summi Pontificis potestatem fabricatis ex hac Sueffionensi Concilio accedit auctoritas.

H h 5

Sæcul. XV.
A. C. 1456. respiciunt. II. Præscribitur modus celebrandi capitula. III. Clericis inhibentur alearum lusus, tabernæ, & ebrietates. IV. Agitur de Episcoporum habitu. V. Innovatur Bituricense Decretum de *Concubinariis*. VI. Reformantur abusus, qui in quæsturis, & indulgentiarum prædicatione irreperant. VII. Monentur Prælati, ut in approbandis Confessariis magna utantur discretione, nec a casibus reservatis, nisi justis ex causis, absolvendi facultatem concedant.

§. XXI.

Delphinus Brabantiam profugus.

Carolus VII. Galliarum Rex, cum Delphini Filii sui agendi rationem penderet, & haud ferendas, quibus Delphinatum, præcipue vero Ecclesiasticos premebat, exactiones inaudiret, ad justam provocatus est iram, & copias suas ad hanc Provinciam sub Duce Antonio Chabannio de Dammartinis eduxit, dato eadem negotio, ut Delphinum comprehenderet. Verum Delphinus re comperta elusit periculum, & effuso cursu primum in Principatum Aurasionensem, demum in Burgundiæ Comitatum, inde in Brabantiam auffugit, nonnullis Nobilibus Viris stipatus. Eo tempore Burgundiæ Dux copiis suis Trajectensem infestaverat